

excellere in Metaphysica & reliquis, quæ ex hac dependent, Philosophicis scientiis? Non morabor loca excerpta ex CARTESII Epist. 33. Part. 2. WOLFFII §. 861. Metaph. & Præf. secundæ editioni præmissa, quæ, ceu ingenuas confessiones, negativæ favere responsioni existimant *Autor Anonymus l. c. S. R. D. LANGIVS Ausführl. Entdeckung der Wolffianischen Philosophie p. 266. Clariss. WALTHERVS in Eröffncten Eleatischen Gräbern p. 33. edit. post.* Notissimum est, summos Mathematicos in aliis disciplinis, ipsaque Mathesi mixta, quandoque gravissimos commisisse errores. v. BECHERI *Weise Narrheit.* Quando vero in causas horum lapsuum inquirimus, præcipuæ istæ videntur, quod neglecta objectorum diversitate possibile & ficta cum revera existentibus, abstracta cum concretis, Intellectum Purum cum Imaginatione commiscuerunt, spiritualia ad imaginabiles & Mechanicas rationes exigere voluerunt, externo Methodi Mathematicæ schemate infallibilitatem quandam sibi polliciti in definitionibus, Axiomatibus & ratiociniis humanum quidpiam passi sunt; quas Syrtes cum præternavigare liceat, non video, quid obstet, quo minus excellentes Mathematici in Metaphysica etiam ex reliqua Philosophia possint excellere, imprimis cum demonstrationibus suis habitum aliquem accurationis sibi acquisiverint, in aliis scientiis, mutatis mutandis, optime applicandum. Exemplorum loco nomino *Illustrem LEIBNITIVM & Celeberrimum WOLFFIVM*, e quorum doctrinis Philosophicis, quamvis cæco ductu easdem non amplectar, sed a nonnullis publice, ea tamen, qua par est, modestia dissenserim, multa me didicisse, grata mente profiteor.



Coll diss A. 33, misc. 48